



PAVLVS PAPA QVINTVS

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

N Sede Principis Apostolorum nullis licet nostris suffragantibus meritis, à Domino constituti, pijs fidelium votis, quibus virtutum Dominus in seruis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis. Sanè pro parte dilectorum filiorum Præpositi Generalis, ac Presbyterorum Societatis I. E. S. V. Nobis nuper expositum fuit, quòd bon. mem. Franciscus Xauerius eiusdem Societatis dum vixit presbyter, multis, & eximijs virtutum, gratiarum & miraculorum donis à Domino illustratus fuit. Quapropter Præpositus, & Presbyteri prædicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, vt donec Canonizationis honorem, quem dicto Francisco Xauerio ob eius excellentia merita aliquando diuina aspirante gratia habitum iri sperant, ab Apostolica Sede impetrent, idem Franciscus Xauerius Beatus vocari, ac de eodem Officium, & Missa vt infra recitari, & celebrari respectiue possit. Quare Nos re prius per Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Sacris ritibus præpositos, quibus eam examinandam mandauimus, maturè discussa, de eorumdem Cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, Vt ipse bon. mem. Franciscus Xauerius in posterum Beatus nuncupari, atque de eo die secunda Decembris, qua obdormiuit in Domino, ab omnibus religiosis dictæ Societatis vbique terrarum existentibus in eorum Ecclesijs, nec non in omnibus Regnis Indiæ Orientalis, in quibus per vndecim continuos annos Christianam Religionem disseminauit, ac longè latèque propagauit. Item & in Oppido Xauier nuncupato Pampilonen. dioc. vnde ipse Franciscus Xauerius oriundus esse asseritur, ab omnibus vtriusque sexus regularibus, ac etiam Presbyteris, & Clericis sæcularibus iuxta rubricas Breuiarij, & Missalis Romani de Communi Confess. non Pontif. Officium recitari, & Missæ celebrari respectiue liberè, & licitè valeat, Apostolica autoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die vigesima quinta Octobris, Milleesimo Sexcentesimo Decimono. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto. S. Cardinalis S. Susanna: Loco sigilli. Antonius Columna Curie causarum Camera Apostolicæ Notarius.

Cuerda con el transumpto de las letras originales, firmado de Antonio Columna Notario de la Curia de las causas Apostolicas de Roma.



Antonio Columna